

2. Iudicia immediata analytica *novam* gignunt cognitionem:

a) *Ex natura iudicii*: In simplici apprehensione veritas quidem subiective, i. e. imperfecte et inchoative inest, in iudicio autem etiam obiective et perfecte inest; quia conformitas cognitionis nostrae cum obiecto expresse et distincte cognoscitur et affirmatur. *Atqui* est nova cognitio et progressus mentis, si ex cognitione imperfecta ad perfectam, a confusa ad distinctam progredimur. *Ergo* . . .

b) *Ex indole mentis nostrae*: Ea est imperfectio mentis nostrae, ut non possimus uno intuitu totam rerum intelligibilitatem cognoscere, sed per plures actus, rediendo reflexione ontologica in conceptus nostros primitivos per modum divisionis et definitionis. *Atqui* divisio et definitio perfecta iudiciis continentur. *Ergo* perfecta rerum cognitio non fit nisi iudiciis tum mediatis, tum immediatis. Et sane multi nescirent explicare, quid sit homo, nisi considerando hunc conceptum primo confusum reddidissent distinctum ope divisionis et definitionis.

c) *Ex absurdis*: Si iudicio immediato analytico non fieret progressus mentis, ne syllogismo quidem mere analytico mens quidquam proficeret; nam ex iudiciis analyticis immediatis formantur mediata analytica. *Atqui* tota mathematica pura, tota metaphysica constat iudiciis analyticis tum immediatis, tum mediatis; immo vero omnes scientiae etiam empiricae supponunt quaedam principia analytica immediata; et tamen mirabilis est progressus scientiarum praesertim mathematicae tum purae tum applicatae (calculus infinitesimalis, trigonometria, physica, astronomia etc.) *Ergo* iudicia etiam immediata analytica constituunt progressum mentis, ac proinde Kantii sententia, illis iudiciis nullum inesse valorem, neque quidquam novi addisci, reicienda est.

*Coroll.*: Ex thesi patet, principia illa prima per se nota, quae ex notionibus primitivis entis, causae, effectus, substantiae, accidentis, totius, partis, unitatis, pluralitatis etc. immediate fluunt, et certa esse et obiectivum habere valorem; immo fundamentum esse omnis nostrae cognitionis. Huc pertinent omnia principia formalia logicae vel aliarum scientiarum: principium identitatis, contradictionis, rationis sufficientis, causalitatis, exclusi tertii, dictum de omni et de nullo, inhaerentiae: accidens requirit substantiam, totum aequat omnes partes, sed maius est singulis partibus; duo identica vel aequalia vel similia eidem tertio etiam inter se identica, aequalia vel similia esse oportet et alia eiusmodi.

*Obi.*: 1. Si iudicia immediata analytica essent semper vera, non possent esse tot falsa iudicia; tot autem sunt falsa iudicia; dist.: mediata — conc.; immediata, subd.: synthetica — transeat; analytica — nego.

2. *Atqui* etiam analytica multa sunt falsa; nam sunt, qui negent intellectum esse aptum ad veritatem certo cognoscendam, principium causalitatis valere, quae sunt iudicia immediata analytica; dist.: haec iudicia sunt ana-

lytica per se — conc.; quoad illos ea negantes — nego; nam deducunt suam sententiam ex falso ratiocinio, ita tamen ut iam *supponant* implicite in sua probatione, quod explicite negant.

3. *Atqui* non possent negari illae veritates immediatae, si essent infallibiles et evidentes; dist.: si intellectus conceptus subiecti et praedicati rite considerat — conc.; si ideis praeconceptis hanc instituit reflexionem et conceptus ad falsum sensum detorquet — nego; sed tunc iudicia negantium non sunt iam immediata, sed mediata.

4. *Atqui* non potest saltem probari, iudicia illa immediata analytica esse obiectiva, quia non formantur, nisi ideis quae non sunt nisi in nobis; dist.: conceptus subiective spectati non sunt nisi in nobis — conc.; obiective spectati, i. e. obiectum ipsis expressum — nego.

*Retorqueo*: Tunc et omnia iudicia synthetica essent mere subiectiva, quia solis ideis in mente exhibentur.

5. *Atqui* iudicia analytica etiam obiective spectata non sunt nisi in nobis; nam sunt necessaria et universalis; obiecta vero sunt singularia et contingentia (Kant); dist.: obiecta physice considerata — conc.; metaphysice, i. e. quoad essentiam — nego.

6. *Atqui* iudicia analytica immediata sunt saltem inutilia, si quidem nil novi inde discitur (Kant); iam enim in conceptu subiecti praedicatum continetur; dist.: continetur implicite et confuse — conc.; explicite et modo iudicativo — nego. — *Retorqueo*: Etiam in iudiciis syntheticis immediatis praedicatum cum subiecto iam apprehenditur experientia physice coniunctum, et tamen nova inde deducitur cognitio.)

## § 2. De Ratiocinio.

(1. *Natura ratiocinii*: Ratiocinium est operatio mentis, qua duae ideae, comparatae cum eadem tertia, perspecta earum identitate vel diversitate, invicem praedicantur vel negantur. Continet igitur tres ideas: subiectum, praedicatum conclusionis, terminum medium; et tria iudicia: maiorem, minorem, conclusionem, quae vocantur principia materialia syllogismi. Deinde supponit quaedam principia formalia, in quibus inest vis concludendi: principium contradictionis, rationis sufficientis, vel etiam causalitatis, dictum de omni et de nullo etc. Essentia vero syllogismi est in *nexu obiectivo*, qui inter subiectum et praedicatum conclusionis et terminum medium intercedit. Hic autem nexus idearum in syllogismo constituit *novum fontem* cognitionis, medium *quod* (obiectivum) cognitum novam nobis confert notitiam; ratio vero eiusque actus ratiocinandi est medium *quo* (subiectivum) ad notitiam illam comparandam. Unde patet, hunc fontem non adaequate distinctum esse ab aliis, sed eos supponere.

2. *Species ratiocinii*: Ratiocinium ratione *formae* potissimum dividitur in *deductivum* et *inductivum*; *deductivum* est illud, in quo ex praemissis universalibus derivatur conclusio minus universalis;

*inductivum incomplete*, in quo ex praemissis minus universalibus deducitur conclusio magis universalis. — Ratiocinium deductivum: 1<sup>o</sup> ratione *materiae* dividitur in ratiocinium a) *a priori*, quod a causa ontologica procedit ad effectum; b) *a posteriori*, quod ab effectu procedit ad causam inveniendam (a proprietate ad essentiam, ab accidente ad substantiam, a partibus ad totum); 2<sup>o</sup> ratione *fontis*, ex quo praemissae cognoscuntur, vocatur a) *analyticum*, si utraque praemissa est iudicium analyticum, i. e. ex ideis subiecti et praedicati vel immediate vel mediate deductum; b) *empiricum*, si utraque praemissa est synthetica, i. e. ex experientia deducta; c) *mixtum*, si altera praemissa est analytica, altera synthetica. — Ex natura ratiocinii *inductivi* elucet, ipsum semper esse empiricum et a posteriori. Quaeritur de valore utriusque ratiocinii.)

3. *Utilitas* ratiocinii: Cum experientia per se non suppeditet nisi facta singularia, et immediata perceptio admodum pauca neque modo scientifico nobis referat, cum deinde ideae per se solae nullam existentiam attingant ac proinde scientiam mundi existentis tradere non valeant, oportet sit fons quidam et experientiam et ideas inter se coniungens, unde novae cognitiones eaeque plurimae et praestantissimae, praesertim quod scientias naturales, deriventur. Hoc igitur praestat ratiocinium et praecipue ratiocinium mixtum. — (Supponitur autem, ratiocinium tum verum esse in praemissis, tum rectum quoad formam logicam.)

4. *Adversarii*: Erant, qui ratiocinium *deductivum* prorsus reicerent, (ut Sextus Empiricus, Baco de Verulam († 1626), Empiristae (Hobbes, Locke, Hume), Positivistae (Comte, St. Mill), quia valorem principiorum, quibus innitur, non agnoscebant. Alii admittebant quidem, sed parum utile esse putabant, quia non novae cognitiones gigni, sed ad summum veritates iam notas illustrari existimabant, ut Cartesiani, Leibnitziani, Kantiani, (Reid, Cousin, Fries, Herbart, Beneke, Schleiermacher, Spencer et (saltem in rebus mathematicis) Trendelenburg.<sup>1)</sup>) Alii, licet ratiocinium *inductivum* magni facerent, fundamento tamen certo privabant, ut Hume,<sup>2)</sup> qui non principio metaphysico, sed consuetudine et associatione idearum, St. Mill<sup>3)</sup> similitudine eventuum et constantia ordinis naturalis, quam supponit: („futurum praeterito fore simile“); Reid, Hamilton, Jacobi instinctu quodam vel fide caeca; Waddington, Kant iudicio synthetico a priori inniti putabant.<sup>4)</sup> Contra quos statuimus thesim:

<sup>1)</sup> Überweg, System der Logik, § 101; Pesch, Inst. log. II, 530 etc. <sup>2)</sup> Inquiry concerning human understanding (1748), übers. v. Kirchmann 1888<sup>4)</sup>. <sup>3)</sup> A system of logic, ratiocinative and inductive, 2 vol. 1875<sup>9)</sup>, übers. v. Schiel 1849. Cfr. Das Induktionsverfahren, Inaugural-Dissertation, von Joh. Reuter, Bonn-Hauptmann, 1882. <sup>4)</sup> Cfr. Pesch, Inst. log. I, 450 etc. Wundt, Logik I, 319 sq.

*Thesis XIX. Ratiocinium tum deductivum, tum inductivum est verus fons novae et certae cognitionis.*

I. *Ratiocinium deductivum novas nobis confert notitias.*

Prob. *Ex natura ratiocinii deductivi*; nam 1) ratiocinium deductivum ratione *materiae* aut est a priori, aut a posteriori. *Atqui* si est a priori, ostendit causam ontologicam, cur aliquid sit et ita sit, e. g. si ex spiritualitate animae eius libertas vel immortalitas probatur; si est a posteriori (ex effectu), saltem demonstrat, causam certam alicuius effectus existere, e. g. ex mundi existentia Dei existentia concluditur, et hae conclusiones sunt veritates antea non cognitae vel non certo cognitae. *Ergo* ratiocinium deductivum novas confert notitias.

(2) Ratiocinium deductivum *ratione fontis* est aut purum, aut empiricum, aut mixtum. *Atqui* hae tres species omnes gignunt novam cognitionem: 1<sup>o</sup> ratiocinium *purum* a) ordinat ideas inter se, earum relationes et dependentiam ostendit, ideas confusas claras reddit, ut apparet e. g. in scientia metaphysica et mathematica; b) novas detegit relationes et quidem plurimas et praestantissimas, e. g. in mathematica; in philosophia (immortalitas animae ex spiritualitate; Dei proprietates ex eius natura etc.)

2<sup>o</sup> Ratiocinium *empiricum* a) ordinat res singulares sub suis speciebus et generibus, singula phaenomena sub legibus universalibus, unde ubique adhibetur in scientiis naturalibus explicandis (vide libros de physica, mineralogia, botanica, zoologia, astronomia, historia); b) applicat leges universales, vires naturae experientia notas ad casus speciales, unde machinae, instrumenta, construuntur, artes exercentur, e. g. horologium, telescopus etc.; iudices leges applicant ad singula facta, homines in vita cotidiana regulas prudentiae ad operationes suas.

3<sup>o</sup> Ratiocinium *mixtum* a) inservit inductioni; unde facta singularia ad principia analytica (effectus ad causam; proprietates ad naturam) reducantur, quod fit praesertim in cosmologia et psychologia; vel mediante principio analytico (causalitatis) ex factis singularibus vel phaenomenis leges generales statuuntur. Hoc modo omnes leges naturae inveniuntur et probantur per inductionem, et est fundamentum scientiae naturalis<sup>1)</sup>; b) applicat principia analytica ad facta

<sup>1)</sup> Wundt, Logik II, 1. Abth. 25 sq. Sic Keppler ex observatione motus Martis aliarumque planetarum tres illas leges de cursu omnium planetarum et Newton legem generalem gravitatis deduxit; sic Huyghens, Young, Fresnel ex observatione phaenomenorum interferentiae, fractionis, polarisationis lucis theoriam undulationis transversalis aetheris in propagatione lucis statuerunt; sic Lavoisier, R. Mayer, Joule, Helmholtz etc. constantiam materiae et virium

singularia indeque nova facta detegit, e. g. existentiam Dei ex existentia mundi mediante principio causalitatis; distantiam solis a terra mediantibus functione trigonometrica tangentis (iudicium analyticum in parallaxi solis determinanda) et longitudine radii terrestri; Leverrier astronomus 1846 ex perturbationibus in cursu Urani observatis Neptunum detegens; existentiam aetheris etc. Ergo ratiocinium deductivum novas cognitiones confert.)

## II. Confert etiam veram et certam cognitionem.

Prob. (1. *Ex natura intellectus nostri*: nam ratio ut facultas, quae ex se ad verum certo cognoscendum ordinata est, debet actibus suis obiectum suum perfecte i. e. certo attingere, si modo debito adhibetur. Atqui ratiocinium est actus mentis et quidem praecipuus, a) quia inde homines animalia *rationalia* vocantur, quia b) est continuus usus ratiocinii tum in vita cotidiana, tum maxime in omnibus scientiis, c) quia inde plurimae veritates ad vitam vegetativam, sensitivam, intellectualem, moralem, socialem sustentandam et perficiendam maxime necessariae deducuntur, omnisque scientia theoretica et practica non nisi ratiociniis continetur. Ergo mens ratiocinando per se verum certo attingit.)

2. *Ex natura ratiocinii*: Mens non potest errare, si verum ipsi evidenter apparet. Atqui in ratiocinio deductivo recte instituto verum evidenter apparet; nam a) conclusio iam continetur virtualiter in praemissis, sicut pars in toto, vel effectus in causa sua saltem logica. Sed videns totum ut totum, causam qua causam non potest non videre etiam partes vel effectum. Ergo . . .

(b) Veritas conclusionis, i. e. veritas *materialis* syllogismi dependet a veritate praemissarum, eius autem rectitudo, i. e. veritas *formalis* a principiis generalibus cogitandi. Atqui potest constare tum de veritate certa praemissarum, quae vel sunt iudicia immediata vel ad ea reduci possunt, tum de veritate et certitudine principiorum, quae ex se evidenter sunt. Ergo . . .

3. *Ex absurditate scepticismi*: nam qui negat valorem syllogismi vel eum in dubium vocat, debet negationem vel dubium suum probare. Atqui non potest probare, quin supponat valorem ratiocinii. Ergo veritas et certitudo ratiocinii non possunt in dubium vocari.

Unde valor ratiocinii per se neque probari potest, quin iam supponatur, neque probari debet, quia evidens est.)

naturae in transformationibus corporum; alii leges combinationis chimicae, leges physicales de motu (projectione, lapsu) corporum; alii leges corporum aëriiformium ut Gay-Lussac, Dalton, Boyle, Avogadro; alii ut Ampère, Faraday, Maxwell, Hertz etc. leges fluidi electrici investigabant. Cfr. Willmann, Philos. Propädeutik<sup>2</sup>, I, 59 sq.

## III. Etiam ratiocinium incomplete inductivum veram gignit certitudinem.

Nota 1<sup>o</sup> inductionem *completam* certitudinem gignere evidens est, sed per se non est argumentatio, quia quod conclusio ostendit, ante ipsam iam *explicite* constat neque *per se* aperit causam *ontologicam* vel *logicam*, cur consequens sit verum; e. g. si experientia iam scio, omnes in aliqua domu habitantes esse insanos, ipsa habitatio in hac domu non est ratio insaniae, sed ratio cuique individua est. Inductio vero incompleta ita fit, ut prius praedicatum consequentis de *omnibus singulatim sumptis* per experientiam nondum constet.

2<sup>o</sup> Supponitur, inductionem modo debito institutam esse, ita ut quam plurima individua sub diversis conditionibus examinata sint, adhibita methodo *eliminationis* (causa si adest vel abest, etiam effectus adest vel abest), et *gradationis* (causa si mutatur, etiam effectus pariter mutatur).

3<sup>o</sup> Ratiocinium inductivum *novam* gignere notitiam, non opus est probare, quia apud omnes constat; non vero omnes concedunt *certam* creare cognitionem; unde hoc potissimum probandum est.

Probo: 1. *Ex natura ratiocinii inductivi*: Ratiocinium incomplete inductivum gignit veram certitudinem, si ad ratiocinium deductivum reduci potest.<sup>1)</sup> Atqui potest ad illud reduci. Ergo . . .

Probo minorem: Ratiocinium inductivum, (si legitime instituitur, constat tribus syllogismis: a) Effectus (phaenomenon) sub omnibus adiunctis constans et uniformis requirit causam constantem et uniformem. Atqui hic habetur effectus constans et uniformis. Ergo hic effectus requirit causam constantem et uniformem.

b) Causa constans et uniformis non potest esse nisi essentia rei vel proprietas cum ipsa necessario coniuncta. Atqui hic effectus requirit causam constantem et uniformem. Ergo hic effectus oritur ex rei natura vel proprietate eius necessaria.

c) Quidquid alicui rei ex natura sua vel proprietate necessaria competit, omnibus individuis illam naturam vel proprietatem habentibus tribui debet. Atqui hic effectus naturae illius rei competit. Ergo hic effectus (phaenomenon, operatio, qualitas) omnibus individuis eiusdem naturae tribui debet.

Haec argumentatio brevius in forma soritis, omissis minoribus et conclusionibus intermediis, sic exhiberi potest: Hic habetur effectus constans et uniformis. Atqui effectus constans et uniformis requirit causam constantem et uniformem; causa constans et uniformis

<sup>1)</sup> Wundt hoc negare videtur (Logik II, 1. Abth. p. 25), sed immerito, quia ipse quoque constantiam tum obiectorum tum legum naturae supponit saltem tanquam „postulatum“; nisi inductio coniungatur deductioni, non certa acquiritur cognitio; quare leges naturae, obiectum scientiae naturalis, hypotheticae remanerent, cfr. dialecticam p. 81.

non est nisi rei natura vel necessaria qualitas; rei natura vel necessaria qualitas in omnibus individuis eiusdem naturae inest; ergo effectus hic (vel proprietas, operatio, vis etc.) in omnibus invenitur individuis huius naturae.<sup>1)</sup>

*Atqui* (tres illi syllogismi sive) hic sorites est deductivus. *Ergo* ratiocinium incomplete inductivum, debita inductione supposita, reducitur ad deductivum ac proinde verum est et certum.

(2. *Ex absurdis*: Si ratiocinium incomplete inductivum non esset verum et certum, omnes scientiae naturales, leges physicae, chimicae, mechanicae, astronomicae, historicae fundamento vero et certo privarentur; nam omnes omnino innituntur inductione incompleta; omnia enim phaenomena vel individua experientiae subici non possunt, ut inductio fiat completa, neque ex singulis individuis vel phaenomenis *per se* ad omnes concludere licet, nisi prius ostendatur, illos effectus oriri ex natura rei. *Atqui* absurdum est, scientias illas verocarere et certo fundamento. *Ergo* ratiocinium incomplete inductivum veram gignit certitudinem.

*Scholion*: Ex argumento primo elucet, adversarios (Hume, St. Mill, James etc.) vim ratiocinii inductivi non recte collocasse in consuetudine vel associatione idearum vel expectatione casuum similium, quem modum cognoscendi recentes Evolutionistae duce Spencer per hereditatem firmum et certum (Denkgewohnheit) factum esse putant. Neque in instinctu seu fide naturali neque in iudiciis syntheticis a priori haec vis ratiocinci collocanda est. Neque sufficiens videtur Wolffii huius argumenti explicatio, si de inductione *incompleta* agitur: Quidquid competit inferioribus sive partibus, competit etiam superioribus sive toti. *Atqui* hoc (e. g. mendacitas) competit inferioribus sive partibus, ergo competit etiam superioribus sive toti. Licet quidem sic arguere, si inductio est completa, non vero, si est incompleta; tunc revera adesset illa petitio principii, quam immerito nonnulli omni ratiocinio subesse putant.<sup>2)</sup> — Unde in inductione incompleta recurrendum est ad principium universale analyticum causalitatis vel rationis sufficientis, ut ex eo maior syllogismi fiat universalis. Propterea ipse St. Mill inductioni supponit tanquam „postulatum“, licet experientia communi iterum fundatum: *constantiam et uniformitatem ordinis naturae*.

*Obi*: 1. Ratiocinio nil novi innotescit; nam conclusio iam antea debet esse cognita (Sextus Empir., Campbell, Stewart, Th. Brown, St. Mill, Spencer etc.); dist.: quoad subiectum et praedicatum (materialiter) — trans. vel conc.; quoad identitatem vel diversitatem utriusque (formaliter) — nego.

2. *Atqui* etiam formaliter; nam antea aut formaliter cognoscis conclusionem, aut non. Si primum, nil novi cognoscitur; sin alterum, neque, si

<sup>1)</sup> Haec explicatio argumenti inductivi facile illustrari potest exemplis, e. g. ex modo, quo Keppler tres leges de cursu planetarum, vel Galilei leges perpendiculi (Pendel) statuit. Cfr. Wohlmuth, Lehrb. d. Philos. v. Stöckl<sup>8</sup> 1905, I, p. 113 sq. Mercier, Revue, Néo-scholastique, 1900, p. 202 sq.

<sup>2)</sup> Cfr. Schmid, Erkenntnislehre, II, 190 sq.

adest, tanquam vera cognoscitur. Ergo iam antea conclusio est formaliter nota.<sup>1)</sup> — Nego disiunctionem maioris et addo tertium membrum: aut cognosco implicite et confuse, non vero explicite et distincte; sic enim conclusio iam antea cognoscitur.

3. *Atqui* debet antea iam distincte et formaliter esse nota; nam finis debet praecedere media et dirigit operationem (Kant), conclusio autem se habet ratione praemissarum tanquam finis; dist.: tanquam finis adhuc efficiendus (logice) — conc.; tanquam finis iam effectus (ontologice) — nego.

4. *Atqui* conclusio etiam ontologice debet praecedere; nam maior iam continet conclusionem; dist.: virtualiter (implicite) — conc.; formaliter (explicite) — nego.

5. *Atqui* etiam formaliter; nam tota vis argumenti est in termino medio, qui iam in maiore invenitur; dist.: tota vis est in termino medio *comparato cum subiecto et praedicato* — conc.; cum solo subiecto vel praedicato — nego.

6. *Atqui* tunc saltem in maiore et minore conclusio iam formaliter inesset ac proinde deberet praecedere; dist.: apprehensive (imperfecte) — conc.; indicative (perfecte) — nego.

7. *Atqui* ratiocinio saltem non certa cognitio acquiritur; nam ad ratiocinia formanda requiruntur: a) principia materialia, i. e. praemissae, quae memoria retineri debent. *Atqui* memoria fallax est; dist.: per se — nego; per accidens — conc.; b) principia logica, unde tota logica semper deberet nobis esse praesens, quod impossibile est; dist.: in rebus obviis — nego; in argumentatione difficili et obscura, subd.: et tunc legitime fit ratiocinium et eam conscientia certa — nego; alias — conc.

8. *Atqui* non potest constare de memoriae veracitate et logicae valore nisi alio ratiocinio, quod esset petitio principii; dist.: si memoria per se esset fallax et logica quoad necessaria non semper praesens — trans.; quum memoria per se sit verax et logica necessaria semper praesens; subd.: si dubium positivum erroris adsit — conc.; alias — nego.

9. *Atqui* saltem ratiocinium incomplete inductivum non valet; concludit enim ex particularibus ad magis universale, ex contingentibus ad necessaria; dist.: concludit ex particularibus et contingentibus, *qua talibus* — nego; adhibito principio universali et necessario causalitatis vel rationis sufficientis — conc.

10. *Atqui* illud principium non potest adhiberi; nam cognitio intellectualis incipit a sensibus et sensus non attingunt causam (Hume); dist.: cognitio intellectualis incipit a sensibus — conc.; non attingit nisi quod sensus referant — nego; sensus non attingunt causam; dist.: per se — conc.; per accidens — nego; vel non attingunt causam ut causam — conc.; rem quae est causa — nego.)

## Appendix de memoria.

*Memoria per se non fallit, potest tamen per accidens esse occasio erroris.*

*St. qu. 1<sup>o</sup>* Memoria est facultas quaedam, actus cognitionis et appetitus semel habitos *conservandi, reproducendi* et ut olim habitos

<sup>1)</sup> Argumentum Platonis in Menone, quo ostendere conatur, ideas nobis esse insitas ex vita priore, refutatum ab Aristotele Anal. post. I. 1.

*recognoscendi*. Distinguitur memoria sensitiva et intellectualis tum habitualis tum actualis<sup>1)</sup>; de utraque nobis sermo est. Quum memoria supponat actus iam habitos, patet eam non esse fontem proprium veritatis distinctum a ceteris.

2<sup>o</sup> Memoriam *per se* non fallere significat, eam ex natura sua esse veracem, ita ut si modo debito, i. e. duce natura adhibeatur, non fallat; *per accidens* fallere significat, eam quandoque occasionem errandi praebere; errorem autem ipsum non ei, sed potius defectui mentis *iudicantis* tribuendum esse.

### I. Memoria per se non fallit.

*Prob. 1. Ex natura facultatis*: Nulla facultas potest per se deficere ab obiecto suo formali; esset enim repugnantia in ipso conceptu, esse facultatem ad aliquid et simul non esse; et haec fallacia naturae eiusque auctori tribuenda esset. *Atqui* memoria ex se ordinata est, ut referat actus praeteritos ut praeteritos et eo modo, quo erant. *Ergo* memoria ex se non est fallax.

2. *Per exclusionem*: Si memoria per se falleret, error esset aut in conservatione, aut reproductione, aut recognitione specierum intentionalium. *Atqui* error ex nulla parte necessario oritur: a) non *ex conservatione* specierum; nam actus ipsi efficiunt speciem suam in anima idque necessario, non libere, in anima simplici et immutabili; b) non *ex reproductione*; nam in reproductione *spontanea* ipsa natura rei et facultatis cognoscentis operantur; natura autem non potest esse fallax. Quodsi reproductio est *arbitraria*, hominis est, debitam reflexionem et attentionem adhibere; quae si adhibetur, error certe excluditur; alioquin iterum ipsa natura deficeret conferendo nobis facultatem ineptam; c) non *ex recognitione*; nam si recognitio est directa, ut in memoria sensitiva, nullum fit iudicium, ac proinde non potest adesse error positivus; (deinde est perceptio immediata, quae fit natura ipsa operante, propterea non potest esse error.)— Si recognitio est reflexa in iudicio, adhibenda est debita attentio, quae semper in iudicio formando requiritur. (*Atqui* si debitae conditiones adsunt, memoria etiam reflexiva non potest fallere, quia tunc iterum fallacitas naturae ipsi eiusque auctori esset tribuenda.) *Ergo* memoria falli nequit per se.

(3. *Ex experientia*: Constat per experientiam quotidianam tum internam tum externam, memoriam, si rite adhibeatur, congruere obiecto suo, et si quid in mentem revocare volumus, memoriam tum sensitivam, tum intellectivam interrogamus.<sup>2)</sup> *Atqui* experientia quotidiana et obvia in hoc falli nequit. *Ergo* . . .)

<sup>1)</sup> Vide plura de memoria in psychologia. <sup>2)</sup> „Quid quum ipsa memoria perdidit aliquid, sicut fit, quum obliviscimur et quaerimus, ut recordemur?

(4. *Ex absurdis*: Si memoria per se fallax esset: a) nulla posset esse scientia<sup>1)</sup> mathematica, physica, historica etc., quae maxime memoria utuntur et nituntur. „Tantum enim scimus, quantum memoria tenemus“; b) neque syllogismus, immo neque iudicium fieri posset, quia veracitas memoriae quoad praemissas, subiectum, praedicatum bene retinenda semper supponi debet, neque directe probari potest; c) nulla posset esse vita humana, nulla societas, nullum foedus, nullae leges, nulla proprietas, nulla promissio, iusiurandum nullum etc. *Ergo* memoria per se non fallax est.)

### II. Memoria per accidens falli potest.

*Prob. 1. Ex experientia*: Constat homines nonnunquam in reminiscendo errare ratione loci, temporis, numeri, circumstantiarum etc. *Atqui* per se memoria non fallit. *Ergo* error ille debet esse per accidens.

2. *Ex rei natura*: Ad memoriam constituendam requiruntur: conservatio specierum, earum reproductio et recognitio. *Atqui* propter infirmitatem humanam potest esse, ut species illae ex mente prorsus vel ex parte exciderint, homo tamen affirmet, se illas non habuisse; deinde potest fieri, ut leges reproductionis sive externae, sive internae non bene serventur ac proinde species conservatae non recte reproducantur; denique accidere potest, ut homo non sufficientem reflexionem adhibeat, ut speciem olim habitam recognoscat, unde cum alia eam confundit. (Causae vero huius erroris remotae sunt infirmitas humana, vel specialis aliquis defectus in quodam homine (morbus cerebri etc.); causae vero proximae sunt phantasia, potissimum instrumentum memoriae, quae nonnunquam, si non satis attenditur, species non habitas refert cum habitis apparenter identicas, vel ratione temporis, spatii, figurae, nexus simillimas etc. Causa vero ultima est semper defectus attentionis et reflexionis in homine *iudicante*. Ac proinde error positivus non invenitur, nisi in iudicio, i. e. in memoria arbitraria, reflexiva; non vero in memoria directa, vel sensitiva, quae ad summum per phantasiam occasionem praebet errandi.) *Ergo* error memoriae non est nisi per accidens.

(*Obi.*: 1. Memoria saepe fallit; dist.: per se — nego; per accidens — conc.

2. *Atqui* fallit per se, quia saepe exhibet, quod non est; dist.: positive — nego, negative subd.: ita ut *occasionem* erroris praebat — conc.; ut ipsa erret — nego.

Ubi tandem quaerimus nisi in ipsa memoria? Et ibi, si aliud pro alio forte offeratur, respuimus, donec illud occurrat; et cum occurrerit, dicimus „hoc est“; quod non diceremus, nisi meminissemus“ (August. conf. X, 8—19).

<sup>1)</sup> „Qui nil de praeterito cogitat, vitam perdidit; memoria est thesaurus omnium cognoscibilium, in quo veritas servatur. Animus obliviosus est quasi locus, in quo, quidquid repositum fuerit, moritur“ (Seneca).

3. Atqui non potest esse verax; nam veracitas eius *ratione directa* proportionata est intensitati tum attentionis in percipiendo et reminiscendo, tum ipsius perceptionis reproducendae, *ratione autem inversa* tempori ante recordationem elapso. Ut igitur veracitas memoriae possit esse perfecta, aut tempus elapsum deberet esse infinite parvum, aut intensio perceptionis et attentionis infinite magna. Atqui neutrum haberi potest. Ergo memoria ex se non potest esse perfecte verax (Langen apud Gutberlet, Psychol. p. 104).

*Resp.*: Experientia docet: 1<sup>o</sup> nos nonnunquam testimonio memoriae absolute fidere posse;

2<sup>o</sup> Illam proportionem ratione temporis non valere, siquidem rei ex longo tempore factae maiore cum claritate nonnunquam recordamur, quam rei, quae heri facta est, e. g. senes iuventutis recordantes.

3<sup>o</sup> Argumentum non probaret, nisi illas conditiones requiri ad memoriam infinite perfectam, non vero ad memoriam *simpliciter veracem*.)

### Caput III: De fonte externo veritatis sive de auctoritate.

1. *Notio auctoritatis*: Licet ex fontibus usque modo enumeratis veritates plurimae acquirantur, magna tamen pars cognitionum ab aliis hominibus nobis traditur. Actus, quo hoc fit, vocatur *testimonium*, quod est fons (qui) obiectivus; actus vero, quo testimonium a nobis suscipitur, vocatur *fides*, et est fons subiectivus (medium quo). (Haec autem fides nullo modo confundenda est cum illo actu rationis, quo Kant, Fichte, Reid, Jacobi, Günther et alii putant, nos res non sensibiles percipere, quem actum in falso suo systemate non recte fidem vocant.)

2. *Natura auctoritatis*: In hoc autem testimonio tria consideranda sunt: a) *Testis*, qui notitiam tanquam veram nobis communicat; et est testis *immediatus*, si ipse quod manifestat, vel ratione vel experientia tum interna tum externa didicit; est *mediatus*, si quod communicat, ab aliis didicit. Porro uterque potest iterum esse testis *oralis*, si viva voce notitiam tradit; *scriptus*, si litteris, monumentis etc. hoc facit.

b) *Veritas* manifestata, quae est *materia* testimonii; et potest esse *dogmatica*, si doctrina aliqua traditur; *historica*, si factum historicum manifestatur.

c) *Vis* testimonii et consequenter *ratio* assensus in testimonium, quae est *auctoritas* testis, qua fidem nobis imponere potest; et haec auctoritas est *divina*, si Deus infallibilis ipse sese revelat; est *humana*, si quis homo quaedam tradit. Haec vero auctoritas constituit *formam* testimonii. Patet, non sensu morali, sed logico auctoritatem hic considerandam esse.

3. *Conditiones necessariae*: Ut autem auctoritas adsit, requiritur in teste: a) *scientia* rei, ut *possit* verum manifestare; b) *veracitas*

qua *velit* verum dicere. Quae quidem in testimonio divino semper adsunt, non vero in testimonio humano, unde ea adesse constare debet, ut testimonium humanum sit certum.

Addendum autem est, tunc solum scientiam et veracitatem testis esse probandam, si ratione longi temporis, vel locorum distantiae, vel naturae facti relati, vel conditionis testis *dubium prudens* oriatur, num adsit debita auctoritas. Si vero nullum dubium prudens adest, fidendum est iuxta axiomata: Nemo praesumitur malus, nisi probetur; omnes sciendi sunt cupidi; nemo gratis mendax.

(Neque vero ideo veritati testatae assentimur formaliter, quia de scientia et veracitate testantis constat — hoc enim esset ratiocinium, cuius terminus medius esset testimonium — sed assentiendum est formaliter propter auctoritatem testantis; eius scientia autem et veracitas se habent tanquam fundamentum fidei, vel conditio, qua auctoritas ipsa manifestatur, sicut in syllogismo perceptio consequentiae est conditio assensus in conclusionem, ipsa autem consequentia in se est formalis ratio assensus. Differt autem auctoritas a consequentia in syllogismo, quia haec veritatem et formalem et materialem simul exhibet et intrinsece cum ipsa connectitur; auctoritas vero potest esse sine actuali testimonio, cum quo solummodo extrinsece connexa est, quum eadem auctoritas multa nobis revelare possit. Fides seu auctoritas docet, *num* res sit; ratiocinium simul dicit, *cur* res sit. Patet autem, auctoritatem, ut certam semper veritatem exhibeat, supponere alios fontes veritatis, praesertim experientiam et intellectum, ac proinde non adaequate ab aliis distingui.)

4. *Certitudo auctoritatis*: Certitudo, quam testimonium gignit, per se solum est moralis, quae est quidem vera, sed imperfecta certitudo. Dico *per se*; nam *per accidens*, sc. exclusis erroris fontibus, i. e. testium scientia et veracitate certo probata, potest nonnunquam reduci ad physicam et metaphysicam certitudinem (et maiorem efficere assensus firmitatem, quam certitudo physica vel etiam metaphysica.) Unde illos scepticos refutamus, qui auctoritate non putant effici nisi probabilitatem, vel non certitudinem philosophicam, vel qui saltem miracula auctoritate non certo manifestari arbitrantur. — (Quum in testimonio verum ipsum in se menti non appareat, sed in signo auctoritatis quamvis certo, requiritur semper voluntatis determinatio ad assensum certum fide praestandum, ac proinde meritum aliquod adest vel naturale vel supernaturale (cfr. supra p. 126 sq).)

5. *Utilitas et necessitas auctoritatis*: Apud omnes constat, auctoritatem esse fontem veritatis omnium fere uberrimum. Innumera enim cotidie discimus testimonio aliorum tum quoad doctrinas et scientias, ad quas acquirendas vel tempus vel vires nobis non suffecissent; tum quoad facta historica, ita ut auctoritate aliena quasi fines temporis et spatii transilientes discamus, quae saeculis praeteritis vel locis longe distantibus evenerint, (totamque historiam memoria amplectamur. Immo hic fons cognitionum, natura nostra attente con-